

## De Plinii minoris vita.

**D**e Plinii vita praeclare scripsisse Massonius\*) vulgo putatur. Ac profecto, quos locos vel Plinii epistolae et panegyricus vel aliorum auctorum scripta ad rem illustrandam suppeditant, eos diligenter collegit collectosque inter se comparando, quum esset singulari quadam sagacitate multum profecit. Immo rebus et reconditis et dubiis et de quibus viri doctissimi usque ad id tempus in errore versati fuerant, tantum lucis attulit, ut non solum fundamenta quaestionis perdifficilis iecisse existimetur, verum multi etiam nunc in eius arbitrio acquiescendum censere videantur. Sed qui studio veri incensus non dico ad rem ipsam sed, unde auxilium petat, ad Massonii librum accesserit, is cum alia minus probabilia inveniet, tum maxime auctorem, „scilicet ab aliorum alucinationibus“ ut saepius affirmat, „tantopere abhorrentem,“ nihil ut nisi certis argumentis additis in medium prolaturus esset, eam ipsam argumentandi rationem, qua nihil efficitur, pluribus locis ingressum esse potiusque coniecturas cepisse, quam confirmavisse iure mirabitur. Neque vero Franckio\*\*), qui ad historiam Traiani componendam summum studium contulit atque in opusculo suo multas res descripsit egregie, quoniam Plinii mentionem passim faciens aut Massonium temere secutus est aut eo relicto sibimet in coniecturis nimis indulsit, fides omnino habenda est.

Qua de causa errores in illis libris obvios corrigere aut quos corrigendi facultas data non sit, saltem detegere argumentisque minus certis certiora addere et si quid momenti maioris prorsus omissum videatur, in disceptationem vocare operae pretium sit. Hanc ego recensionem, quamquam neque omnes difficultates superare et singulas tantum quaestionis partes persequi mihi licet, initurus iam, ut eundem ordinem sequar, quem Massonius, ab illis verbis, quae pag. 21 sq. V. leguntur, initium faciam.

„Alios pariter, per quos noster profecerit, grate memorat, uti Corellium Rufum, suae vitae testem, rectorem, magistrum etc. (lib. I, 12; IV, 17), Hispullam, huius uxorem, quae nostrum a pueritia statim formavit (IV, 19)“. — Nihil profecto Hispullae, ad quam

\*) C. Plinii Secundi Junioris Vita Ordine Chronol. Digesta. Amstel. 1709.

\*\*) *Zur Geschichte Trajans und seiner Zeitgenossen.* Güstrow 1837.

IV, 19 scripta est, C. Calpurnii Fabati, cuius neptem Plinius in matrimonium duxerat, filiae cum uxore Corellii Rufi I, 12, 9. 10 commemorata commune fuit, nisi nomen, quo solo fortasse inductus Massonius his locis de una eademque agi putabat, si vidisset, quid inde sequeretur, aliter haud dubie iudicaturus. Plinius enim si cum Corellii uxore affinitatis vinculo coniunctus fuisset, IV, 17 Asinio Gallo paullo latius exponens, quibus de causis Corellii Rufi filiam vel contra hominem familiarem amplissimisque honoribus perfunctum a se defendi aequum esset, rationem excusandi ex affinitate petivisset. Sed ad illam Massonii sententiam, quam interpretum alii, in his Gesnerus, comprobaverunt, alii silentio praeterierunt, refellendam plus valet epistola VII, 11 ubi eo consilio, ut se recte fecisse ostendat, Fabato prosocero de ipsius in Corellii sororem liberalitate nimia miranti Corelliam, „ut sororem Rufi et ut matri suae familiarissimam“ a se diligi tantumque „amicitiae“ cum illa iunctae tribuendum esse declarat. Familiares igitur Plinio, non propinquae fuerunt Rufi filia sororque et uxor, quod si aliter esset, illa Fabati, quam modo commemoravimus, miratio maximae esset offensioni.

Pag. 79 sqq., ut iam ad aliam quaestionem paullo difficiliorem transeamus, Massonius epistolam libri decimi secundam explicans duas uxores a Plinio ductas esse arbitratur. Quod iudicium quo melius cognoscatur quam falsum sit, ipsius verba exhibeo: „Quae vero Plinius X, 2 suis de matrimoniis subiungit, interpretatione egent. Videor ergo, inquit, summam voti mei consecutus, cum inter initia felicissimi Principatus tui probaveris me ad peculiarem indulgentiam tuam pertinere: eoque magis liberos concupisco, quos habere etiam illo tristissimo seculo (Domitiani) volui, sicut potes duobus matrimoniis meis credere. Ubi cum postremam sententiam ad verba proxime antecedentia referrem, putabam Plinium hac ratione probare se liberos habere etiam Domitiani temporibus voluisse, quod nempe illo tristissimo seculo duas uxores duxisset. Melius tamen nunc eadem ratio addita videtur, ut noster ostenderet, quod prius dixerat, se liberos concupiscere. Primo sensu inde sequeretur, Plinium iam ante Traianum imperante Domitiano duo contraxisse matrimonia nondumque tertium subiisse, cum haec scriberet.“ Cuius conclusionis posteriorem partem a vero abhorrere nemo non intelligit: quid enim obstitit, quominus Plinius anno 97 extremo, quum brevi post Domitianum mortuum uxore orbatus esset, Nerva regnante vel initio imperii ad Traianum delati, antequam ius trium liberorum ab eo peteret, tertiam uxorem Calpurniam in matrimonium duceret? Sed videamus, quid de ceteris viri doctissimi argumentis statuendum putemus ita rem persequentis: „At altero sensu Noster significat, se tum et ad secundas transiisse nuptias. Alias si Plinius iam ab anno sine coniuge fuisset, facile credere non potuisset Traianus, quod ei noster persuadere volebat se ob Principis indulgentiam magis liberos concupiscere. Id ipsum haec subsequenter verba confirmant: Sed dii melius, qui omnia integra bonitati tuae reservarunt. Malui hoc potius tempore me patrem fieri, quo futurus essem et securus et felix. Quae dicere non ipsi licuisset, nisi iam alteram duxisset uxorem.“ Haec vero omnia perturbata sunt atque inter se pugnancia. Nam id quidem perspicuum est, Plinium haec scribentem duas uxores iam duxisse et tum maxime coniugem habuisse: sed se ob indulgentiam principis liberos concupiscere, ut ipse affirmat, si huius voluntatis fidem facere

ex matrimonio voluisset, ut Massonio placet, eo tempore, quo trium liberorum iure ornatus est, expers cogitandus esset coniugii, quod iterum tamen, antequam hac epistola gratias ageret Traiano, ob eum ipsum honorem iniisset. Quae coniectura et quia per se inepta est et propter temporis rationem ferri nullo modo potest. Itaque illa verba: „sicut potes duobus matrimoniis meis credere“ ad ea, quae proxime praecedunt, non ad superiora: „eoque magis liberos concupisco“ referenda sunt. Quod vero opinionem istam sequentibus verbis: „Sed dii melius, qui omnia integra bonitati tuae reseruarunt“ confirmari Massonius contendit, non minus fallitur. Plinius enim, quamquam iam Domitiani temporibus liberos habere voluerat, tamen, quod huius voti nondum compos factus esset, laetatus diis gratias agendas esse censebat. Quod cum ita sit, tam perspicua est sententiarum connexio tamque facilis ad proximam quamque transitus, ut verba „quos habere etiam illo tristissimo saeculo volui“ uncis includere, id quod etiam Doeringius fecit, tamquam perspicuitatem orationis aucturus, nec rebus ipsis cogamur neque ex grammaticorum praeceptis debeamus. Illud quidem nonnunquam factum esse, ut ultra unam sententiam quaedam ad superiora referrentur, exemplo Nepotis docemur Cato I, 1 ita dicentis: „Inde rogatu C. Valerii Flacci, quem in consulatu censuraque habuit collegam, ut M. Perperna censorius narrare solitus est, Romam demigravit,“ quamquam hic quidem locus propter verborum collocationem tantum offensionis non habet, sed ex quatuor enunciatis tertium ad primum, ad secundum quartum referre, id quod Massonii explicatione iubemur, neque hoc neque alio loco, nisi qui omnia dissoluta esse voluerit, quisquam ausus sit. Interpretatione igitur utamur hac: „Nunc maxime concupisco liberos, quos quamquam tristissimo illo saeculo habere volui, sicut duobus matrimoniis credere potes, tamen dii melius etc.“ Quodsi cui periodus, qualem a Plinio formatam volumus, quia sententiae altera alteri subiiciantur, languidior videatur et minus conclusa ideoque a Ciceronis stilo, cuius imitatione expressi vestigia haud pauca inveniuntur nimis remota, fuit sane hoc dicendi genus nostro scriptori valde usitatum atque eius ingenio, cuius epistolae ut plenae sunt brevium sententiarum ita a sermone vulgari non abhorrent, maxime accommodatum. In quo genere ordo si non verborum, at certe sententiarum magis simpliciter adiiciendo, quam composita inse-  
rendo adeo est servatus, ut epistolae in linguam Francogallicam commodius, quam in Germanicam verti posse dicantur. Quod ita esse ut exemplis confirmem, sufficiant haec: Quem locum sententiae a relativis, „quo, quanto“ incipientes „eo, tanto“ demonstrativis respondentibus apud Ciceronem alios optimos scriptores obtinere soleant, neminem fugit, Plinius autem I, 20, 4 ita: „bonus liber melior est quisque, quo maior“ cf. II, 19, 8; III, 10, 6; IV, 1, 4; V, 5, 3; 19, 2; VI, 26, 2; VII, 17, 8; VIII, 4, 8; 12, 2; 14, 10; 18, 8; IX, 20, 1; 21, 4; 31, 2; I, 2, 6; II, 9, 3; 11, 2. 15. Itaque ut finem faciamus huic quaestioni, quum anno 97 ineunte uxore se orbatum esse ipse queratur, eum tres uxores duxisse contendo; illud tamen facere non possum, quin adiciam, et ipsum Massonium pag. 164 nescio quo modo de tertia uxore verba fecisse.

Eadem imprudentia factum est, ut pag. 78 de morbo, in quo abstinentia quantum valuerit Geminus docetur (VII, 1), perperam, iudicaretur. Constat enim Nerva regnante Plinium ea valetudine fuisse, ut quominus excurreret in Tuscos templum exstructurus, im-

pediretur (X, 8 ex rec. Keil)\*); nullum est autem indicium, quo hanc valetudinis infirmitatem, ut Massonius suspicatur, eandem fuisse probetur, qua vexatus Traianum (X, 5) rogarit, ut Harpocrati iatroliptae civitatem daret Romanam. Quod aliquam veritatis speciem offerret ac defendi posset, si, in quem ordinem ab Henrico Keil epistolae redactae sunt, eodem eas scriptas esse satis liqueret. Quid vero quod eundem illum morbum, in quem aliquando se incidisse Plinius Gemino scribit, intelligendum esse Massonius statuit nulla alia, ut ex verbis eius elucet, causa inductus, quam quod utroque loco (et X, 5 et VII, 1) de gravissimo morbo sermo sit? Quaecumque igitur temporis definitiones in hac inani cogitatione positae sunt, quum argumenta aliunde nulla accedant, quibus ita esse doceatur, et ipsas dubias atque inanes habendas arbitrator: eoque magis in dubitationem adducimur, quod praeter eos locos, de quibus egimus, etiam X, 11; 17; VII, 21 mentio fit morborum, quorum de primo et altero quae commemorantur, Traiani aetatem indicant, postremus, quo implicitus Cornutum Tertullum cognomine collegam appellat, in ea tempora incidit, quibus ad Plinium praefectura aerarii aut consulatus aut cura alvei Tiberis delata erat. Ceterum haec monent nos illorum, quae a Massonio pag. 118 prolata sunt. Nam et IV, 13 et IV, 30, quas epistolae Plinius domo rediens scripsit, eidem anno (101) tribuuntur; concedamus tum iter eo factum esse; num igitur constat, eum non saepius aut a Fabato proscero aut carissimis amicis aut amoenitatibus villarum aut denique negotiis in patriam revocatum esse?

Pag. 95 ep. 7 lib. I. in Tuscis, quo templi exstruendi causa profectus sit (X, 8), scriptam esse anno 99 monemur. Ubi ita disputatur: „Tum etiam Noster litteris ab Octavio Rufo ea de re acceptis, quibus is videtur flagitavisse, ut Plinius se excusaret Baeticis, si nollet contra Baeticos Classicum adesse; respondet I, 7, quae huc transferenda et inde praecipue notandum, quod sub finem dicit se circa Idus Octobres sperare Romae futurum.“ Vehementer in hac quoque re vir doctissimus erravisse mihi videtur. Ac primum quidem tanta fuit in republica administranda diligentia Plinius tantoque studio incensus gratiae a principe, qui anno priore ad regnum pervenerat, ineundae, ut, quum commeatus triginta dierum iter in Tuscos facturo datus Kal. Octobr. finiretur (X, 8, 3) eum usque ad Idus Octobr. aut diutius — nam incertus utitur voce „circa Idus“ — extracturus fuisse credi vix possit. Jam, ut veniam impetraret, magna cum animi sollicitudine commemorata operis perficiendi, quod et pium esset et urgens, gravitate, quam commode tum maxime menstruo finito per ferias excursurus esset, Traianum edocuerat. — Deinde, quae I, 7, 2 leguntur: „Etenim ut fas est mihi praesertim te exigente excusare Baeticis contra unum hominem advectionem, ita nec fidei nostrae nec constantiae, quam diligis, convenit adesse contra provinciam, quam tot officiis, tot laboribus, tot etiam periculis meis aliquando devinxerim“ ea nonne luculentissimo testimonio sunt, Baeticorum duas illas contra Baebium Massam et Caecilium Classicum causas, quarum altera periculum capitis, altera magnos attulerat labores (III, 9), iam actas fuisse? Itaque Plinius quum eiusdem anni, quo contra Classicum egit, mense Septembri consulatum iniret, fieri non potuit, ut epistolam I, 7 ante annum 101 scriberet. — Jam vero postquam Romam ex Tuscis rediit,

\*) Hanc editionem etiam in sequentibus secutus sum.

Baeticis ut sibi adesset rogantibus fidemque contra Massam Baebium expertam implorantibus, quoniam ut praefectus aerarii tot tantisque officii molestiis districtus et occupatus erat, iusta profecto et cui nihil nisi senatus auctoritas obstaret, caussa fuit honorem summa cum laude delatum libere recusandi, quin etiam paullo post cum Afros a Mario Prisco vexatos defendere eadem senatus auctoritate cogere, tamen, quia „omnibus advocacionibus renuntiare, ut toto animo delegato sibi officio vacaret“ in omnibus videlicet rebus spectans principis voluntatem constituerat, Traiano per litteras (X, 3), cur advocacione suscepta sibi non constitisset, sollicito animo et anxio rationem reddidit. Quam ob rem si quid ex epist. I, 7 ad illam Baeticorum defensionem pertineret, minime dubium mihi videtur, quin haec negotia eandem adversus Octavium excusationem probabilem datura fuerint eoque magis idoneam, quo minus offensionis amicissimo viro afferret. — Denique ut illud silentio praetereamus, hoc loco Gallum, neque aut Classicum ipsum aut eius socium aut ministrum quendam nominari, de uno agi, non de pluribus, quum in illa Baeticorum caussa animi tanta ira exacerbati essent, ut Classici etiam mortui ministri rei agerentur, quanta fide putaremus, quanta constantia fuisse eum, qui quum negaret, per eas ipsas virtutes adesse Gallo sibi licere, eum accusare propter amicitiam cum Octavio iunctam nollet, postea quamvis excitatus et Senatus assensione et legatorum precibus, Baeticis tamen adesset? Quidquid ceteroqui de Plinii moribus cum Taciti ingenio haudquaquam comparando iudicamus, ea quidem infirmitate, id ut committeret, non fuit neque ea me iudice imprudentia, ut si commisisset, quod puderet eum aliquando atque oblivioni dari magnopere interesset, id memoriae traderet. Romani opulentiores quidem vere ineunte si munera diutius ab urbe abesse paterentur, in suam quisque villam decedebant ibique per aestatem morabantur: quem morem, id quod satis elucet ex eius epistolis, Plinius quoque tenuit, quippe cui villarum solitudo suppeditaret, ubi litterarum studiis animum relaxaret aut venationis voluptatibus se dederet. Eum secessum, quo nihil dulcius esse ducebat, mense Aprili repetere solebat: interdum vero propter recitationes, quibus interesse voluerat quaeque aliquando (I, 13) usque ad exitum mensis Aprilis habebantur, Romae diutius remanebat. Cur igitur, cum illa Octavio responderet, aliud quidquam eum secutum esse putemus, nisi ut hoc secessu frueretur, causam equidem video nullam. Quae cum ita sint, ne haec quidem epistola quando scripta sit, accuratius definiri potest.

Pag. 110 Massonii verba sunt haec: „Ceterum, cum ex superius discussis pateat, aliquot ex lib. III. epistolis ad hunc annum (100) pertinere atque unam aut alteram ad anni sequentis initium cumque nulla ex perspicuis certisve characteribus ad tempora multum recentiora videatur reicienda: hinc coniecturae fas est epistolam VII eiusdem libri, qua Noster Sili Italici mortem Caninio nunciat, hoc quoque circiter tempore conscriptam fuisse.“ In sequentibus, quae rebus ipsis nituntur, Silium Italicum illo anno mortuum esse satis luculenter demonstratur: neque vero id, quod efficere voluit Massonius, in dubitationem vocare mihi est in animo, at illa audacter et temere coniciendi ratio, cuius exemplum modo proposuimus, graviter est notanda. An istam argumentationem, in qua Plinii ipsius ordine temporis non servato se collegisse epistolas plane (I, 1, 1) dicentis testimonium nullo habeatur numero, hoc nomine notare non debeamus? Neque enim id testimonium per se negligi potest et eius

auctoritas multis omnium librorum epistolis admodum augetur. Ex libro primo epistolas anni 96 aut 97\*) complures continente easdem illas litteras, quibus se circa Idus Octobres Romae futurum esse Octavio nuntiavit Plinius, serioribus annumerandas esse confirmavi iisque I, 20 accedere ea epistolae parte (§ 12) facile probatur, qua quem fructum ex magna agendi exercitatione magnoque usu perceperit, auctor ostendit. Similis est ratio epistolarum VI, 10 et 13, quae si non longiore intervallo, certe quinquennio inter se distant. De singulis igitur epistolis, modo res ipsas respiciamus, aliquid certe constitui potest, de libris, si quaeratur, quo quisque anno sit scriptus, non potest. Ceterum si generatim iudicandum sit, quamquam totum opusculum exiguum tantum temporis spatium complectitur — plurima enim aut Nerva regnante scripta sunt aut Traiani regni initia spectant, ut non amplius fere decem anni expleantur — libri postremi cum prioribus accurate comparati magna ex parte recentiores videantur. Qua de re quia alio loco quae mea sit sententia uberius exponam, iam transeamus

ad pag. 119 ubi haec leguntur: „Eidem forsitan anno, antequam Traianus ad bellum Dacicum proficisceretur, alligandum, quod IV, 22 Plinius narrat, se interfuisse principis optimi cognitioni.“ Prudenter quidem „forsitan“ adverbio septa est et munita oratio, ne verum excederet: sed quum nec de Sempronio Rufo, ad quem epistola scripta est, nec de Trebonio Rufino, cuius causa narratur, nec de ceteris aut hominibus aut rebus hoc loco commemoratis quidquam constet unde accuratius definiamus, cui anno Traiani — Traiani enim tempora illa Nervae (§ 4) mentio satis perspicue significat, epistola haec tribuenda sit, ne dubitationi quidem locus ullus relinquatur.

Lib. VII, epp. 16, 23, 32 Massonio anno 99 scriptae videntur, quod „illic de Tirone loquatur, qui Baeticam sortitus Provinciam per Ticinum petebat.“ Cum enim Tiro a. 94 praetura functus esset, nihil obstitisse, quominus Baeticam, quae provincia Senatus Populive fuisset, sortiretur. Eam autem Tironi sorte tributam esse, antequam Plinius consul designatus esset, atque adeo ante Ianuarium anni 100, inde manifestum esse, quod VII, 16 honores enumerans, quibus uterque iam fuisset decoratus, Plinius de consulatu suo mentionem nullam fecisset, sed de praetura ut novissimo honore. At neminem fugit, scriptorem loco laudato id solum egisse, ut qua familiaritate cum Tirone coniunctus fuisset, prosocero ostenderet, ideoque eos magistratus solos commemorasse, quorum societate arctius inter se devincti fuissent. Itaque ex eo, quod praeterit consulatum, nihil aliud sequitur, nisi ex hac dignitate nihil accessisse ad eorum familiaritatem alterumque prius altero consulem factum esse; uter vero in honorum cursu celerius longiusque processerit, si quis quaerat, is rebus accuratius perpensis facile in eam opinionem adducetur, ut potius Plinium prospero illo fortunae flatu usum fuisse existimet. Anno 99 quidem illae epistolae scriptae non sunt: nam eo tempore, quo Tiro provinciam sortitus VI, 22 monetur, ne cui nimis fidat, Traianum Romae fuisse apparet: eum autem auctumno a. 99 Romam venisse non minus constat, quam profectionem proconsulum mense Aprili factam esse, neque vero ad priora tempora, quibus alios viros provinciae praefuisse memoriae proditum est, proconsulatum Tironis referre licet.

\*) cfr. ea, quae in Philologo XII, 2 p. 316 disserui de I, 2.

Postquam pluribus locis Massonium vitae imaginem quam maxime perfectam exprimendi studio inductum, alia ex aliis temere nectendo et coniiciendo lapsum esse docuimus, iam ad eam descriptionis partem accedimus, in qua rerum copiam epistolis ipsis suppeditatam videtur neglexisse.

De poeticis enim Plinii studiis verba facturus p. 174 dicit haec: „Inter porro studia, quibus Plinius in secessu Laurentino vacavit, fuere Poetica, uti ex variis locis patet. Quae de re hic quoque nonnulla subiungere non erit absurdum, cum accuratius definire tempus non liceat.“ Sed neque illis, quae subiunguntur, expectationem, quantulamcunque excitavit, explet auctor et quod scribit accuratius tempus definiri non licere, videamus, num re vera omnia, quae ad hanc quaestionem pertineant, tam obscura sint, nihil ut pro certo affirmari posse existimemus.

Quo ingenio ii esse debent, qui aliquid praeclari in carminibus componendis praestare velint, eo Plinius non fuit. Neque enim is erat, qui vi et ardore et magna cogitando ita commoveretur, ut in gravi illo et severo, neque eo acumine, ut in iocoso et levi genere dicendi cum laude elaborare posset. Neque vero ita intentis viribus pro vitae rationibus egisse id videtur, ut facultatem quamvis exiguam aut a natura datam aut institutione excultam auget gloriaque poetica insignis fieret: omnes eius cogitationes, studia, opera id spectabant, quibus artibus magnus evaderet orator. Quodsi nihilo minus (VII, 4, 2) se nunquam a poetice alienum fuisse narrat, quin etiam quatuordecim annos natum Graecam tragoediam scripsisse, postea e militia redeuntem Latinos elegos in mare Icarium et insulam fecisse gloriatur, haec in dubium nemo vocabit, qui quidem cognoverit, quantum valeant in doctissimo quoque studia humanitatis quamque facile adolescentes vigore et corporis et animi ad res magnas aut cogitandas aut gerendas interdum efferantur. Sed ob id ipsum cavendum est, ne nimium tribuamus his carminibus. Jam multo modestiora illum locum sequuntur verba haec: „Expertus sum me aliquando et heroo, hendecasyllabis nunc primum, quorum hic natalis, haec caussa est,“ quibuscum verbis si quis ea contulerit, quae paulo infra leguntur: „Intendi animum contraque opinionem meam post longam desuetudinem perquam exiguo temporis momento, id ipsum his versibus exaravi“ is facile perspiciet, scriptorem invita Minerva versus heroicis composuisse ac deterritum a toto hoc genere studiorum, unde nihil ad gloriam suam accessurum esse arbitraretur, diu abhorruisse. Sed mirum quantum cupiditas cum optimum quemque oratorem omnibus in rebus, tum maxime Ciceronem imitandi commovit Plinium. Aliquando, cum forte in Ciceronis epigramma quoddam incidisset, si non eandem persequeretur viam, fore ratus, ut aliquid de sua gloria detraheretur, statim cura ad hanc scribendi operam conversa pluribus metris si quid posset tentavit deceptusque ut ipse fatetur et facilitate, qua versus funderet, et amicorum assensione, quae ex suo more recitaverat, probantium unum hendecasyllaborum volumen edere constituit. Ex laetitia, quam prae se fert, paene puerili, non minus, quam ex eo, quod ad hendecasyllabos tanquam ad magnum opus transiturus tam propere alia carmina aliis addebat, satis apparet, eum ipsum priora, quae id genus a se essent profecta, dico heroicis versus, minoris, vel potius pro nihilo, verum initium recentis operae hendecasyllabos illos habuisse dignos, quorum pluribus mentionem faceret. Qui versiculi quum parum severi essent nec pro dignitate quam ceteris in rebus tueri Plinius studebat, sed ita scripti, ut Catullianum illud:

„nam castum esse decet poetam  
 ipsum, versiculos nihil necesse est,  
 qui tunc denique habent salem et leporem,  
 si sunt molliculi et parum pudici.“

tanquam legem „verissimam“ sibi proponeret (IV, 14, 5), fieri non potuit, quin offensionem afferret multis, suis certe amice reprehendendus videretur (V, 3). Quo in numero Tacitum quoque virum gravissimum tantoque ingenio praeditum, fuisse veri est simillimum, unde nescio an aliquid sequatur ad illas litteras ad Tacitum ex villa de poematis scriptas illustrandas (IX, 10). Verba ibi leguntur haec: „Itaque Minervae tantum serviendum est, delicate tamen ut in secessu et aestate. In via plane nonnulla leviora statimque delenda ea garrulitate qua sermones in vehiculo seruntur, extendi. His quaedam addidi in villa, cum aliud non liberet. Itaque poemata quiescunt, quae tu inter nemora et lucos commodissime perfici putas. Oratiunculam unam alteram retractavi.“ Quae sunt ista poemata? Hendecasyllabi intelligi mehercule non possunt, qui ubi commemorantur, quia nonnulla paullo petulantiora erant (IV, 14, 4), ineptiae vocantur (IV, 14, 8; IX, 25, 1) et rursus nugae (IV, 14, 8; VII, 2, 2) et alibi lusus iocique (VIII, 21, 2); cf. IV, 27, 3; V, 3, 4; VII, 9, 9; IX, 25, 1; versiculi (V, 3, 1. 2), passeruli et columbuli (IX, 25, 3), denique voces (IV, 14, 9), quae quin poemata vocarentur, si quis mallet, non recusabat. Poemata igitur noluit: neque id mirum, si quidem ii recte iudicant, qui in rebus ad synonymiam pertinentibus subtiliter sunt versati. Cf. Doederlein V, 101. Itaque cum in via nonnulla leviora statimque delenda ea garrulitate, qua sermones in vehiculo sererentur, se extendisse diceret, haud dubie hendecasyllabos significavit, quippe quibus componendis operam dare et per aestatem liceret et ut in secessu ad animum remittendum petito necdum verum otium daturum (VII, 9, 9) facile liberet. Huc accedit, quod ubi de illis ineptiis diserte agitur, eadem versuum origo eademque ratio, quae ex illa ad Tacitum epistola cognoscitur, fuisse narratur. In vehiculo, in balneo, inter coenam iis oblectabat otium temporis (IV, 14, 2), „metra si quid otii maxime in itinere temptabat“ (VII, 4, 8). Quae cum ita sint, nec Cataneo\*) assentior auctorem huius epistolae Tacitum fuisse suspicanti nec Schaefero eam scholasticarum exercitationum speciem praebere censenti, immo omnia et ex ingenio Plinii scripta et vera rebusque ipsis plane accommodata esse existimo. Itaque perspecta Tacitus illa perversa studiorum ratione amicam ab inani quadam opera minimeque eius persona digna revocandi cupiditate ductus, ut maiora sibi proponeret, videtur adhortatus esse idque effecisse, ut a levioribus rebus animum paullisper averteret, quo incepto parum succedente ad priora redeunti Plinio poemata quiescebant. Coepit enim ex illo genere studiorum non solum oblectationem, verum etiam „post iudicium viri eruditissimi Mamliani (IX, 25, 2) gloriam petere,“ sed modo Plinii verbis fidem habeamus, eam gloriam, quae minus niteretur in laude poetica, quam vitae sapienter dispositae in studiis severitatem comitatemque miscendo. Quamquam versiculos suos cum iactatione quadam loquitur et pluribus locis eorum famam quam latissime dissipandi cupiditatem ostendit.

\*) Eandem sententiam Minos habet.



Neque defuerunt, qui simulata admiratione, quod erat seculum, sive sincere, sed omni fere tum extincto flore litterarum, perperam iudicabant, quod exempla summorum virorum secutus tam iocis quam seriis tempus transmittere non dubitavisset, eum laudibus efferrent. Occurrunt illa Sentii Angurini (IV, 27, 4):

„Canto carmina versibus minntis  
his olim quibus et meus Catullus  
et Calvus veteresque; sed quid ad me?  
unus Plinius est mihi priores:  
mavult versiculos foro relicto  
et quaerit, quod amet putatque amari  
ille, o Plinius ille quot Catones!  
i nunc quisquis amas, amare noli.“

Haec vero verba ipsa, quo tempore Plinius illam artem exercere coeperit, quaerenti locum dant Massonium, cum arbitraretur eum tum iam maximam vitae partem ab urbe in secessu Laurentino egisse iterum refutandi. Jam multae sane orationes editae erant (IV, 14, 1), iam decesserat Verginius Rufus et Nerva imperator, cui V, 3, 5 cognomen Divo datur, quam ob rem illa carmina ante a. 98 scripta putari non possunt, neque vero licet eorum initia aut ad hunc aut ad annum sequentem referre, quum quoad praefectus aerarii erat, maximis molestissimisque officiis sic distineretur, ut, praeterquam quod Afrorum contra Priscum et Baeticorum contra Classicum defensionem sub exitum anni 99 pararet, praeterea omnibus advocacionibus abstineret (X, 3). Quin etiam num a. 100, utpote quo et ineunte duabus magni negotii advocacionibus districtus et procedente consulatus officiis obligatus esset, eo animi impetu, quo eum primo ad nugas delatum esse pateat, in has faciendas incubuerit, vehementer dubito. Nec tamen ita multo post Nervam mortuum iis operam dedit, id quod elucet ex V, 3, 5 et IV, 19, 4, ubi de Calpurnia uxore recens (98) in matrimonium ducta verba facit, et ex eo, quod etiam tum aetatem in villa Laurentina — ibi enim se primum his studiis animum intendisse ipse confitetur VII, 4, 3 — degere solebat, cui villae postea Tuscos praeposuisse videtur. Itaque nisi omnia me fallunt, ad illam studiorum rationem proximo tempore aberravit, i. e. anno 101, quo anno rerum actu modice, sed tamen destringeretur (IX, 25, 3), quoque si quid otii esset (VII, 4, 8) in Camoenarum sinum compelleretur necdum ei diuturno otio frui liceret, quo frui nisi magnis peractis laboribus nollet (III, 1, 11)\*. Huic temporis definitioni, cum Traianus a. 101 Decebalo, Dacorum regi, bellum intulisse tradatur, verba, quae initio ep: IX, 25 leguntur, non repugnant: „Quereris de turba castrensiu negotiorum etc.“ — Denique ut pauca adiciamus de secessu Laurentino, de quo aliter nos sentire iam supra ostendimus, is locus, quem ante ceteros respiciamus necesse est, invenitur IX, 40, 1: „Scribis pergratas tibi fuisse litteras meas, quibus cognovisti, quemadmodum in Tuscis otium aestatis exigerem: requiris, quid ex hoc in Laurentino hieme permutem“ ex quibus verbis, quum Fuscus, ad quem illa epistola

\*) Tum etiam IX, 34 scripta est; cf. § 2.

est scripta, etiamtum iuvenis esset, haud paucis annis minor\*), hanc Plinii consuetudinem in Tuscis otium aestatis exigendi, hiemis in Laurentino iam aetate propecti fuisse equidem conicio. Prioribus autem temporibus hanc consuetudinem habuisse non videtur. I, 9 ostendit, quam amoenum receptaculum sit Laurentinum inanes urbis labores effugere cupienti; I, 22 morbi, quo T. Aristo urgeretur, mentione facta, postquam diu iam Romae moratus sit, haud dubie aestate ineunte (cf. I, 13, 6) sollicitudine liberatum se tandem Laurentinum suum „studiosumque otium“ repetiturum esse nuntiat: II, 17 villa Laurentina describitur, cuius amoenitates, quantae per aestatem sint, satis luculenter demonstratur; III, 4, 2 et IV, 1 Tusci quoque commemorantur. sed de secessu nihil; IV, 6 iam de utraque villa facit verba, ita tamen, ut quoad studiorum ratio habeatur, Laurentinum praeponat. Quae omnia qui contulerit cum initio V, 6, ubi Apollinari de amici valetudine propter gravitatem coeli sollicito mirantique, cur aestate Tuscos petiturus sit, causas exponit, is mecum opinor consentiet vitaeque rationem instituendi consilium paulatim mutatum facile perspiciet. Inde iam nulla fere villae suburbanae (Laurentinae) mentio, saepius alterius; ibi enim studebat, ibi venabatur (V, 18, 2), cuius voluptatis potestatem altera non daret (IV, 6, 1) eo refugiebat, ut omnia ad arbitrium suum faceret (IX, 15, 1), nullum ibi periculum, ne ex proximo in advocacionem rogaretur (V, 6, 45), nulla necessitas togae. Libri igitur noni epistolae non plene, ut ceterae, gravium illarum de laboribus querelarum, sed ab eo scriptae, qui tum vitam otiosissimam ideoque iucundissimam ageret (IX, 32) quique tempus et vindemiis (IX, 16; 20) et locandis praediis (37) aliis rebus rusticis tribueret atque nunc ad lusus rediret, nunc cursu forensi tanquam finito, ne „tantus ille labor“ irritus esset (V, 8, 6), orationes retractaret, nescio an maxima ex parte ex Tuscis datae sint. Eo nimirum tempore, quo aut causas agendo aut rempublicam administrando gloriam sibi parare studebat, fieri non potuit, quin secedendi potestate data Laurens prope Romam situm, ubi peractis in urbe negotiis salvo iam et composito die manere posset, ceteris longe praeferret. Id magno est argumento, priores libros, quamquam singulae epistolae ita insertae sint, ut totum opusculum speciem varietatis casu exortae praerberet, priore tempore scriptos esse. Eiusdem rei testimonia inde quoque peti debent, quod in illis seniores amici aut etiamtum vivi aut modo mortui, ut Verginius Rufus (II, 1), Corellius Rufus (I, 12), Spurrinna (II, 7; III, 1; 10; I, 5, 8; 9; V, 17) commemorantur, de quibus nisi ad memoriam defunctorum excitandam, non iam in ceteris fit mentio; adolescentuli, qui nondum in illis, in postremis occurrunt, ut Fuscus Salinator (VI, 11, 26; VII, 9; IX, 36; 40) Ummidius Quadratus (VI, 11; 29; VII, 24; IX, 13) quos ad studium summae laudis inflammari cum adhortationibus, tum exemplo suo, ut Curionem Cicero — nam ad eum omnia referenda sunt — vehementer cupiebat. Neque igitur epistolae ad Pontium datae, qui Plinio (V, 14) laudes Cornuti celebranti de pluribus rebus ante actis monendus videtur ideoque post consulatum cum Plinio familiaritatem coniunxisse putandus est, in prioribus libris ullae reperiuntur. Jam vero praetereunda non est crebrior illa ac paene gloriosa sub voluminis finem librorum ab eo editorum commemoratio neque voces illae, quales IX, 23, 5: „Verum fatebor, capio magnum

\*) VII, 9 Fuscus docetur, qua ratione in secessu studia instituenda sint, VI, 11 dicitur Plinium quasi exemplar sibi proposuisse.

laboris mei fructum,“ quibus cum vocibus sermo dubitantis et cunctantis scriptoris in prioribus libris conspicuus minime congruit. Apparet igitur, Plinium tum iam eam consecutum fuisse auctoritatem, quae non tam augenda, quam conservanda esset ac tuenda. Denique quoniam oratio eo est deducta — non quo existimem me id dicturum, quod multum valeat ad rem enucleandam, sed quia id per se sane mirum est nec tamen quaestione hac tam alienum, nihil ut subtiliore disquisitione instituta in eo discriminis vertatur — quaedam vocabula velut „nempe“ in posterioribus, in prioribus alia haudquaquam reperiri animadverti, ut diversa scripturae aut emendationis tempora indicari et Massonii sententia epistolas variis et forte simul sex septemve libris editas fuisse suspicantis (pag. 173) a vero paullo, attamen remota videatur, quum omnibus in libris exstent litterae, quae ad unam alteramve epistolam alius libri pertineant quasque diversis temporibus editas esse non sit credibile. — Ac ne quis quantum librarii incaria et multo saepius mutandi studio tanquam res in pristinum ordinem redacturi peccaverint, me monendum esse censeat, si quid mutassent, eo consilio id profecto egissent, ut eiusmodi epistolae, quae ad eandem rem pertinerent, sese ipsae etiam exciperent. Quam facile potuit aliquis induci, ut III, 20 et IV, 25 aut V, 20 et VI, 5 eodem loco poneret. Hac mente sine dubio librarius, a quo cod. Prag. scriptus est cuique H. Keil auctoritatem iure tribuit nullam, VII, 29 in octavum librum transtulit. Itaque cum ceteris in codicibus id genus vitiorum admissum esse non videatur, ea sum sententia, ut fere eundem ordinem, quem Plinius esse voluit, nobis servatum esse putem. — Haec maxime habui de Massonii libro, quae dicenda putarem. Jam transeamus ad historiam Traiani a Franckio compositam.

Franckius pag. 35 ita disputat: „Wenn Plinius die castitas und sanctitas der Plotina in seinem Panegyricus rühmt, so spricht er von ihren Sitten in der ersten Zeit, braucht also darum freilich nicht die Unwahrheit gesagt zu haben, aber er giebt ihr das Prädicat „sanctissima femina“ auch später gewiss nicht gegen seine Ueberzeugung (Epist. IX, 28, 1). Ferner sind die noch späteren Münzen, welche die Plotina als Vesta und am Altare der pudicitia darstellen, von ihrem Gemahl geschlagen, der also auch nicht Ursache hatte, an ihrer Tugend zu zweifeln.“ Qui nummi quum anno 112 tribuendi sint, ex sententia Franckii epistola IX, 28 neque ante 100 neque post a. 112 scripta est. Quod ita esse cur statueret, vellem rationem reddidisset ut aut confirmari posset aut refutari eius argumentatio. Nunc vero omni auxilio destitutus frustra diuque caussas quaesivi neque quidquam inveni, unde ad verum propius accederem, nisi illa § 4 dicta a Plinio de sua ipsius vita verba: „Polliceris in fine, cum certius de vitae nostrae ordinatione aliquid audieris, futurum te fugitivum rei familiaris statimque ad nos advolaturum qui iam tibi compedes nectimus, quas perfringere nullo modo possis,“ quae verba fortasse ea tempora spectant, quibus eum aetatis ratio non iam Romae in rebus agendis retinebat aut inducebat certe in eam spem fore ut aliquamdiu in praediis otio et amicorum consuetudine familiarissima frui sibi liceret. Ad quam opinionem confirmandam nonnihil valet commemoratio vindemiarum IX, 28, 2 cf. 16, 1. 20, 2. Annus 100 igitur laboris plenus iam praeterierat. Neque autem 101 aut 102 ista scribendi locus datus est, siquidem Plotina Traianum, sicut in bellum Parthicum, ita in Dacicum quoque est prosecuta. Sic enim statuit Franckius, cum

diceret pag. 33: „*Ein Beweis für das eheliche Glück des kaiserlichen Paares ist auch die Gewohnheit der Plotina ihren Gemahl auf Feldzügen zu begleiten.*“ Iam vero ab a. 103—105 Plinium Bithyniae proconsulem praefuisse et sequenti anno Traianum ex altera adversus Dacos expeditione rediisse constat, ut epistolam hanc, de qua agimus, aut 106 aut postea ad Romanum datam esse veri sit simile; ultra a. 114 quidem litterae non sunt transferendae; eo enim tempore Plotina comes erat Traiani in Parthiam proficiscentis, reliqua tamen dubia relinquuntur.

De epist. II, 7 Franckius avertit p. 49 haec: „*Da von diesem Briefe als gewiss angenommen wird, dass er nach dem Antritt der Regierung Traians geschrieben sei und da Manches darauf sehr bemerklich hindeutet, dass die erzählte Begebenheit sich schon seit einiger Zeit zugetragen, so scheint daraus zu folgen, dass die Bructerer noch zu der Zeit, da Traian den Oberbefehl am Rheine führte, eins der Hauptvölker waren, gegen welche sich die römischen Waffen richteten.*“ Vestricio enim Spurinnae propter bellum contra Bructerum regem bene gestum eiusque filio, qui patre absente mortuus erat, propter integritatem vitae et ut simul patri id honori esset, statuas poni princeps iusserat idque post imperium a Traiano acceptum aut certe post Domitianum factum esse nobis quoque videtur. Haud ignoramus etiam prioris aetatis imperatores vel pessimos hominibus summae virtutis, non quod aequi iudices alienorum meritorum fuissent, sed nunc ut malevolos animos dissimularent, cuius rei insigne in Agricola exemplum Domitianus edidit, nunc mobili quodam impetu incitatos statuas poni iussisse, sed illa liberalitas, cui Spurinna tantum honorem debebat, maior profecto fuit, quam quae a Domitiano proficisceretur. Ceterum, quamquam nonnulli Domitianum intelligendum esse censuerunt, tamen, quum iis de caussis, quas dixi, nobis nulla fere dubitatio afferatur, hac quidem in re non ita aegre feremus, de auctore, quem secutus sit, a Franckio nos celatos esse, illud vero ne coniectura quidem assequi possumus, quod affirmavit ex Spurinnae expeditione iam aliquantum temporis praeterlapsum esse. Nonnulla in epistola reperiri dicuntur, quae ita rem se habere satis perspicue significant; ut ego quidquam reperiam, quo comprobetur Franckii sententia, tantum abest, ut illis verbis „gravissimo vulnere“ cum iis, quae III, 10 leguntur, collatis contraria ostendi facile existimem. Postremo tota rationis conclusio mihi displicet. Nam quid sibi volunt, quaeso, illa adiecta: „*und da Manches sehr bemerklich etc.,*“ quae neque ipsa certa sint neque ad cetera confirmanda quidquam valeant? scilicet ut credamus non post acceptum, sed tum maxime, cum acciperet Traianus imperium bellum contra regem Bructerum gestum esse. At ne illud non crederemus, Franckio docenti, iam Nerva regnante bellum ortum esse, non erat timendum.

Quae de lege ambitus a Plinio VI, 19 commemorata disputantur, ita sunt comparata, ut quo magis auctoris error perspicuus fiat, non supervacaneum videatur, totum locum perscribere: „*Dass diese Senatsverordnung in dem genannten Jahre (100) gegeben sei, erhellt theils aus Plinius Versicherung, Traian habe dem Verlangen des Homullus, die Consuln möchten den allgemeinen Wunsch einer Beschränkung der Kandidatenumtriebe zu seiner Kenntniss bringen (vult sine dubio dicere, „die Kandidatenumtriebe zu beschränken“)* sogleich entsprochen, woraus hervorgeht, dass der Kaiser zu der Zeit schon in Rom gegenwärtig war, theils daraus, dass er ihm noch nicht den später verliehenen Titel des „Besten“ giebt, welches er nach Verleihung des Titels nicht vergessen haben würde (wie aus Plinius

V, 14 (13) 7 und anderen Stellen erhellt, wo der Titel vorkommt), zumal da er die Worte anführt, wie Homullus in der Senatsversammlung gesprochen; die Verordnung ist demnach in der Zeit von der ersten Anwesenheit Trajans in Rom als Kaiser, bis zu der Verleihung des genannten Titels gegeben. Die erste Anwesenheit Trajans in Rom als Kaiser fällt aber in das J. 99 n. Chr. Da bewarb er sich um das Consulat für das folgende Jahr. Es war dies sein drittes Consulat, während dessen er nach Gewohnheit seiner gemässigten Vorgänger, die aus Schonung des republicanischen Principis lieber mit consularischer, als imperatorischer Vollmacht handelten, mehr als wahrscheinlich (weil Plinius dieser Verordnungen in seinem Panegyricus erwähnt, welchen er als Consul suffectus gegen das Ende dieses Jahres hielt. Vielleicht ist dies Gesetz Trajans de ambitu schon im vorigen Jahre unter C. Sosius Senecio u. A. Cornelius Palma gegeben. Cf. Bach, *divus Traianus* pag. I.) die Hauptverordnungen über die Schenkung an das Heer (Volksspenden, Erziehung der Kinder, Postwesen, Erbrecht, Staatsschatz, Fürstenschatz, Angeber, Majestätsverbrechen, Pantomimen und Sklaven) machte, wofür ihm der Senat den Titel *optimus* gab. Weil nun Plinius in seinem gegen das Ende des J. 100 n. Chr. gehaltenen Panegyricus ihm den Titel giebt, so ist obiges Gesetz de ambitu im J. 100 gegeben worden.“ Quod attinet ad primam argumentationis partem, qua Traianum extemplo, quod Homullo auctore consules „principi notum fecissent“ ab eoque petiissent, id iussisse fieri Franckius ostendit, res dubia non est; nam comitia, quibus id rogatum erat, quod a principe concessum esse ex eadem epistola intelligimus, proxima dicuntur, statuamus etiam Caesarem illo tempore Romae fuisse, quamquam absens quoque cogitari potest; nam licebat per litteras cum eo agere, sed si panegyrico nondum habito Traianus legem de ambitu tulisset, eo, quod orator ceteras leges commemorans ad Caesaris virtutes efferendas hanc quidem neglexisset, multo magis offenderemur, quam contraria statuentes cognomine optimi omisso, ac re vera in panegyrico frustra quaesiveris ullam huius legis commemorationem. Quod vero optimi cognomen in rem investigandam maximi momenti esse Franckius censet, vehementer fallitur. Quam incertum iudicium inde fiat, ex pluribus locis potest demonstrari. Ex iis epistolis, quae post Plinii consulatum scriptae sunt, adnotavi haec: III, 18, 1; 2; IV, 8, 1; 9, 7; VI, 13, 2; 31, 2; 13; 27, 1; 2; 5; VII, 6, 10; 14: Quae si comparaveris cum III, 13, 1; 18, 3; VI, 27, 3; intelliges promiscue nunc addi, nunc omitti optimi cognomen quod II, 1, 3 et panegyri. 10. 89 etiam Nervae inditur. Itaque qui ex hac re tempus definiri posse putaverit, is non minus errabit, quam qui mortuum Nervam non nisi divum appellari opinetur (IV, 17, 8. 22, 4), ut nisi Caesare diserte optimo vocato non liceat, sed ne tum quidem sine aliqua dubitatione epistolam hanc illamve ad ea tempora transferre, quibus Plinius consulatu iam functus fuerat. Sed quoniam Franckius cognomini illi, prout aut omitatur, aut addatur, tantum tribuit, eundem ad II, 7, ubi deest cognomen, id non fecisse miramur.

Pag. 498 Franckii verba sunt haec: „Da Aristo diese zum Tode führende Krankheit schon in den ersten Regierungsjahren Trajans erlitt, welches wir daher wissen, dass Plinius ihrer in dem ersten damals erschienenen Buche seiner Briefe (I, 22) erwähnt, so muss obiges Decret auch in jene Zeit fallen.“ („Divus Traianus filium, quem pater male contra pietatem adficebat, coegit emancipare, quo postea defuncto pater, ut manumissor, bono-

rum possessionem sibi competere dicebat. Sed consilio Neratii Prisci et Aristonis ei propter necessitatem solvendae pietatis denegata est.“ Papii l. XI. Quaestion.) Ille morbus, in quem Aristo delapsus esse I, 22 narratur, tam gravis sane fuit, ut vir „doloribus, siti, febrium ardore admodum vexatus, utrum sponte exiret e vita an resisteret,“ cum suis deliberaret: sed quid Franckium adducere potuit, ut re vera Aristonem illo tempore illoque morbo mortuum esse putaret, quum adeo medicis de summa valetudinis consultis et secunda pollicentibus Plinio spes allata esset fore, ut amicus servaretur? Immo necesse est statuamus Aristonem reconvaluisse, siquidem eiusdem Franckii sententiam sequimur dicentis, idque cum caussa, ut supra vidimus, omnes primi libri epistolas prius emissas esse, quam ceteras: nam exstant litterae ad Aristonem datae V, 3 et VIII, 14. Atque scriptor, etiamtum cum de amici valetudine sollicitus erat, villa Laurentina contentus aut potius amoenitate huius loci captus fuisse videtur, ut hac quoque re commotus I, 22 ad priora tempora referam. In epistola vero V, 3 quamquam villarum nulla fit mentio, tamen iam auctorem versicolorum aliquam famam consecutum esse apparet; de litteris VIII, 14 quando scriptae sint, pro certo affirmari nihil potest, nisi post (V, 4 et) V, 13 eas datas esse: nam his Afranius Dexter designatus consul vivus commemoratur, illis idem consul occisus.

Pag. 678 leguntur haec: „*Plinius schlägt dem Caninius einen schönen Stoff zu einem Gedicht vor (IX, 33); dieser dagegen theilt ihm den Entschluss mit, den dacischen Krieg besingen zu wollen (VIII, 4).*“ In quibus auctori id vitio vertendum est, quod illas duas epistolas ita coniunxit, ut ad eandem rem pertinere viderentur. De qua re ipsa quid cogitemus etsi parum interest, tamen ea de caussa notari debet, ne quis ex eo tempus definiri posse arbitretur.

Nec melius indicavit pag. 706: „*Auf das obenerwähnte (p. 703) zur Correctur übersandte Buch (VII, 20) antwortet Plinius scherzhaft (VIII, 7): Nicht wie ein Lehrer dem andern, auch nicht — um mich deines Ausdrucks zu bedienen — wie ein Schüler dem andern, sondern wie ein Lehrer seinem Schüler — — hast du mir deine Schrift geschickt.*“ Qui epistolas hoc loco coniunctas diligenter comparaverit, is nihil inveniet argumenti, quo nisus eundem librum significari contendat aut epistolam hanc brevi post illam scriptam esse.

Iam finem facturus his quaestiunculis fateor, paene piguisse me huius laboris, quo sumto aliena recensens plura denegarem, quam affirmarem, pauca ipse adstruerem. Quicunque in eiusmodi rebus pervestigandis aliquamdiu versatus est, eum non fugit, quanta voluptas percipiatur, si quis ut pro incertis certa substituatur quaeque obscura fuerint, illustrentur, efficere itaque ex rebus inconditis magnum opus exstruere possit, in quo omnia inter se sint apta et continuata. Qua in re etiam de Plinio agentibus nobis cavendum est, ne quid unde in speciem tantum quamvis magna accedat fides coniecturis, pro vero habeamus. Nam in hoc scriptore plurimum valet lusus verborum ab eoque ipso dicta caute accipi debent. Sicut I, 16 epistola, qua continentur laudes Pompei Saturnini iis artificiis composita est, vix ut credas laudatorem tot quasi compedibus figurarum dempta libere dicendi facultate omnia ad veritatem locutum esse. Nihil igitur iuvat ista ad vitam depingendam rerum exaedificatio, quam nisi in firmissimis fundamentis posueris, neque ipse quidquam efficies, et in errorem induces alios, quibus labor de integro erit suscipiendus.

Gierig, quod postremo illius epistolae loco propter nimiam sententiae exaggerationem offenderetur, a Schaefero iure reprehensus est, sed ne hic quidem, cum arbitraretur Plinium copiosorem fuisse, quo maior vis inesset verbis, verum vidisse mihi videtur. Leguntur enim ibi haec: „At hoc pravum malignumque est, non admirari hominem admiratione dignissimum, quia videre, alloqui, audire, complecti (cf. Cic. pro Cluentio, 61: „Quem propter animi importunitatem nemo recipere tecto, nemo audire, nemo alloqui, nemo respicere vellet?“) nec laudare tantum, verum etiam amare contingit. Vale.“ Haec sane est ubertas, quam primo aspectu nemini non displicere crediderim. Sed qui cum his initium litterarum contulerit, ei scriptorem id egisse, ut recurrens ad prima exitum similem efficeret et media ornate concluderet, facile persuadetur. Incipit enim auctor ita:

„Amabam Pompeium Saturninum,  
hunc dico nostrum,  
laudabamque eius ingenium,  
etiam antequam scirem,  
quam varium, quam flexibile, quam multiplex esset:  
nunc vero totum me  
tenet, habet, possidet.“

„Amare“ igitur et „laudare“ voces sub finem non temere adiecit Plinius, sed cetera verba haud dubie eodem consilio adhibuit, ut eorum, quae praemisisset, moneremur et summa colligeretur. Qua arte epistolas finiendi saepius usus est. Huc accedit, quod, ut supra commemoravimus, inani verborum sonitu immodice delectatur. Quo factum est, ut II, 1, 12 similiter scriberet: „Verginium **video**, Verginium iam vanis imaginibus, recentibus tamen, **audio**, **alloquor**, **teneo**.“ Praeterea noster locus insigne trimembris orationis exemplum praebet, cui ne quid deesset, illa: „hunc dico nostrum“ inserta esse existimo. Postrema verba; „tenet, habet, possidet“ ex formula stipulationis petita sunt, in qua tamen Brissonio auctore (p. 551 ed. Bach) ordo inversus: „habet, t., p.“ usitatus erat. Hac re commotus Schaefer etiam nostrum locum ita mutari voluit, quod valde mihi arridet. Nam praeterquam quod haec mutatio non ita magna est, codicis Med. quidem auctoritas, quae maxima iudicatur, cum plura hic ommissa sint, non obstat. Maxime vero me movet sonitus vocalium, quae mutatione facta mirum in modum ita sibi responderent, ut primum cuiusque membri locum potissimum a vocalis obtineret, alterum e et i, tertium o et u. Atque, ut cognoscas, quantam operam scriptor dederit consonantiae vocum proximarum usurpandae, exhibere liceat etiam illud (§ 2):

„Audi causas agentem,  
acriter et ardentem, nec minus  
polite et ornate  
sive meditata sive subita proferret.“

Et deinceps: „Idem tamen in historia magis satisfaciet vel brevitate, vel luce, vel suavitate, vel splendore etiam et sublimitate narrandi.“

Ad hoc: Quantum illis

leporis, dulcedinis, amaritudinis, amoris.

Quorum similia cum neque pauca neque dubia passim occurrant exempla, ut haec ipsa non solum in verbis, sed etiam in epistolis disponendis conspicua affectatione potestas pluribus locis detur vitiis librariorum medendi, id quod in Philologo XII, 2, p. 316 sqq. demonstrare sum conatus, nimia in scribendo morositas haec suspicionem movet, Plinium, quo pluris speciosum genus dicendi fecerit, quam simplex et candidum, eo longius a vero abfuisse.

Jah  
Co  
Mi  
den  
Ge  
Ein  
4)  
Vo  
den  
sic  
Ne  
ein  
bes  
sec  
  
auf  
  
Be  
vor